

TEXTE

La persévérance est nécessaire pour séduire

Après avoir invité le jeune homme à rechercher la complicité de la servante, puis à guetter le moment favorable pour séduire, le poète attire maintenant l'attention sur une utilisation modérée mais persévérante de l'éloquence.

- Hoc opus, hic labor est, primo sine munere jungi ;
Ne dederit gratis quae dedit, usque dabit.
Ergo eat et blandis peraretur littera verbis
Exploretque animos primaque temptet iter ;
5 Littera Cydippen¹ pomo perlata fefellit,
Insciaque est uerbis capta puella suis.
**Disce bonas artes, moneo, Romana juvenus,
Non tantum trepidos ut tueare reos ;**
**Quam populus judexque gravis lectusque senatus,
10 Tam dabit eloquio victa puella manus.**
**Sed lateant vires nec sis in fronte disertus ;
Effugiant voces verba molesta tuae.**
**Quis, nisi mentis inops, tenerae declamat amicae ?
Saepe valens odii littera causa fuit.**
15 Sit tibi credibilis sermo consuetaque verba,
Blanda tamen, praesens ut videare loqui.
Si non accipiet scriptum inlectumque remittet,
Lecturam spera propositumque tene.
Tempore difficiles veniunt ad aratra juvenci
20 Tempore dura pati frena docentur equi ;
Ferreus adsiduo consumitur anulus usu ;
Interit adsidua vomer aduncus humo.
Quid magis est saxo durum, quid mollius unda ?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.
25 Penelopen ipsam, persta modo, tempore vinces ;
Capta vides sero Pergama², capta tamen.
Legerit et nolit rescribere, cogere noli.
Tu modo blanditias fac legat usque tuas.
Quae voluit legisse, volet rescribere lectis ;
30 Per numeros veniet ista gradusque suos.
Forsitan et primo veniet tibi littera tristis,
Quaeque roget ne se sollicitare velis.
Quod rogat illa, timet ; quod non rogat, optat, ut instes ;
Insequere, et voti postmodo compos eris.
35 Interea sive illa toro resupina feretur,
Lecticam dominae dissimulanter adi,
Neve aliquis verbis odiosas offerat auris,
Quam potes, ambiguis callidus abde notis.

Ovide, *L'Art d'aimer*, livre I, vers 451-488.

Texte latin établi par Henry Bornecque, Les Belles Lettres, C.U.F., 1924.

¹ **Cydippen** : Acontius avait écrit sur une pomme : « Je jure par Artémis d'épouser Acontius ». Il lança le fruit à Cydippe qui le prit et lut machinalement la formule du serment qui l'engageait.

² **Pergama** = Troie.

